



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 2. Proponitur secundum & tertium Argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

cente utilitatem ex occisione innocentis, qualis esset v.g. utilitas ne se infestet, ne causam urgeat &c. hinc non erit utilitas illa oriunda ex practica impletionem voluntatis conductoris: sed alia erit utilitas, quam innui, vel alia similis. Tum quia. Nemo de definitiva ratione misericordiae etiam creata, ponit repassionem: Jam autem cum non loquatur de justitia creata Aristoteles, sed de justitia sine addito, censendus erit loqui de justitia ut sic; ad quam tamen repassionem requirit. Tum quia. Casu, quo quis orationem teneatur ex justitia facere, interveniunt ea, quae assumit argumentum, nempe utilitas ejus, qui conducit, & utilitas ejus, qui conducitur, ratione pretii, consequenter habetur etiam passio, & repassio: & si non haberet utilitatem ex oratione, non solveret ex justitia. Tum quia; ad repassionem debet quidem esse tanta retributio, quanta fuit operatio alterius, sed non quomodocunque, sed prout habet rationem utilis.

ADDIT 5. Idem, varias instantias, quibus probat latius patere justitiam, quam commutationem inter homines, quia inter Angelos ipsos in pura natura consideratos, talis commutatio potuisset reperiri, & si verum est, posse unum Angelum vim inferre Angelo alteri, hæc actio posset esse inter illos injuriosa. Item si illum decipiat in contingentibus & liberis, vel infamet. Item si non exhibeat honorem, quem fortè ratione officii, alteri debet.

CONTRA. Ex Vasq. Dispar est ratio de Angelis: nam illi commodi, & incommodi capaces sunt, secus Deus; adeoque prædicata definitiva commutativæ justitiæ, poterunt ad Angelos etiam extendi, ipsaque virtus justitiæ, intercedere inter illos.

RESPONDET 2. Ripalda. Tenere Aristotelem L. 4. Eth. c. 3. ad justitiam pertinere exhibitionem, vel ablationem honoris, licet strictè utilis honor non sit.

CONTRA est. Quia sub termino, fama, quæ etiam est materia commutativæ, includuntur omnia bona, adeoque & dignitas. Et sicut fama strictè utilis non est, quia aliam habet definitionem, & nihilominus ut sit materia commutativæ, per Aristotelem debet habere rationem lucri, ultimoque per lucrum formalisari: ita & dignitas, ut sit materia commutativæ, debet habere rationem utilis.

RESPONDET 3. Lugo de Incarn. d. 3. n. 64. Quod etiam ante illum innuit Suar. opusculo citato n. 27. Argumentum multum probare, illa bona non posse esse etiam materiam charitatis & amicitiae erga Deum, imò nec fidelitatis: Nam sicut justitia inclinat ad servandum jus alienum, circa commodum & utile: sic amicitia ad desiderandum commodum amici, fidelitas ad implenda promissa circa utile: nam promissio de re indifferenti, quod impleatur

non refert: quamvis ergo peccatis non lædatur intrinsecè Deus, quia tamen aestimatio extrinseca est prudenter appetibilis, poterit ad hæc ipsa, dari jus in Deo.

CONTRA est. Tum quia, admittit amicitia, ne respiciatur utile. Hinc si aliquis amet alium, quia hoc sibi utile est, non censetur esse amicus; si ergo admittit, imò requirit ne respiciatur utile, poterit esse bene contenta amicitia etiam extrinsecis bonis amici, & non tantum intrinsecis. Unde etiam amicitia non definitur per velle utile & lucrosam alteri: quia autem definitur commutativa per rationem lucri, si hæc ratio non reperitur, non reperietur commutativa. Tum quia. Nego titulo fidelitatis, neminem obligari ad danda indifferentia: semper enim veridicitati, negatione etiam indifferentis rei, contraveniretur; ad dandum autem utile quæ tale, superaccedet adhuc titulus justitiæ. Tum quia. Concedo aestimationem externam esse prudenter appetibilem, sed nego, posse appeti à Deo, tanquam illi utilem. Consequenter, nec tanquam materiam justitiæ.

Hæc sint dicta pro defensione Argumenti Vasq. de quo ipso Argumento, quid sit ex objecto sentiendum, infra dicetur.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur secundum & tertium Argumentum.

SECUNDA RATIO est ex eodem Vasq. Nulla creatura, aut peccatis suis, aut alio modo potest inferre Deo damnum. Ergo, etiam & nihil tribuere illi potest, quod verè in utilitatem & compensationem Dei cedat: contrarium enim eadem debet esse ratio. Unde blasphemiae, sacrilegia, & odium Dei non sunt propriè peccata injustitiæ: opponuntur enim aliis virtutibus: blasphemia fidei, sacrilegium religioni, odium charitati, quæ à propriè justitia maxime differunt. Unde etiam per S. Thom. 3 p. q. 85. a. 3. *Etiamsi penitentia sit pars justitiæ, in ea tamen non servari justum simpliciter*, quod ipsum ostendit, *penitentiam non esse justitiam rigorosam, adeoque non esse partem subjectivam, sed potestativam justitiæ.*

RESPONDET 1. Suar. Quod hic non ponatur justitia talis inter Deum & homines, qualis ponitur inter ipsos homines. Unde talis justitiæ pars subjectiva non est justitia erga Deum, sed est pars justitiæ formalis & abstractius accepta, quæ sit virtus moralis inclinans voluntatem hominis ad servandum illatum omne jus, & dominium divinum, quodcunque illud sit: consequenter dicit, reddere cultum Deo debitum, non pertinere ad justitiam commutativam humanam, sed ad divinam, quæ Religio appellatur.

appellatur. Quæ ipsa Religio, dupliciter accipitur. Primo ut dicat totum genus quoddam virtutis moralis, reddens debitum Deo. Secundo prout specialiter dat solum cultum honoris, per modum observantiæ. Dicit autem Suar. se loqui de iustitia priori modo sumpta, & sic claudit sub se iustitiam, quam homo debet servare erga Deum, sive omnis virtus participet propriè hanc iustitiam, sive non; blasphemiam etiam, licet in quantum est contra veritatem fidei, opponatur fidei, revera tamen est directe sacrilegium contra Religionem.

CONTRA est. Tum quia, ex vi horum, quæ assumit Suar. non tantum sequitur peccatum non esse contra iustitiam humanam, sed etiam contra iustitiam, quæ sit specialis virtus, intendens æqualitatem hominis ad jus divinum. Quod ipsum probatur. Quia virtus moralis intendens jus quodcunque divinum servare, potius importat complexionem virtutis, & si per hoc salvas, quod scilicet se constituat virtus illa in ratione specialis, per ipsam reduplicationem motivi, scilicet intendendo servare honestatem in æqualitate ad jus divinum quæ tale: quia tamen extenditur ad quodcunque jus divinum, adeoque etiam ad jus non rigorosum, nec cum injuria violabile, necdum sequitur tali etiam conceptu posito dari, iustitiam rigorosam inter Deum & hominem; si autem dicas te loqui de servando jure divino rigoroso, probandum fuisset, esse illud rigorosum, quamvis non adferat Deo ullum utile.

Tum quia. Concedo, blasphemiam sub diversa formalitate posse spectare & ad fidem, & ad Religionem, sed nego vel religionem, vel aliquam aliam, esse virtutem rigorosæ iustitiæ inter homines & Deum. Tum quia; ut urget Vasq. quamvis peccatum injuria in Deum aliquando vocetur, non debet strictè illa vox accipi: sed eo sensu, quo dicitur etiam Prov. 9. *qui arguit derisorem injuriam sibi facit*; cum tamen nemo peccet contra se, in iustitiæ peccato: hinc peccatum dicitur in iustitiâ, quia non æquatur regulæ legis. Sequitur item in omni peccato esse duplicem speciem peccati, infirmam nempe, propter oppositionem ad aliquam virtutem, & quod sit contra iustitiam erga Deum, cum tamen id ante doctrinam Suarii non sit audiam. S. etiam Thomas 3. p. q. 85. a. 3. dicit *penitentiam non servare iustum simpliciter*. Tum quia. Inauditum est in scholis de duplici Religionem, ut facit Suar. disputans, Sacrilegiumque semper censetur esse vitium Religionis, & non iustitiæ erga Deum, oppositum. Tum quia, si merito etiam sumitur vi voti non tantum nos obligari ex virtute Religionis, sed etiam rigorosæ iustitiæ. Vel enim sumunt religionem, inquit Vasq. secundo modo hoc est pro virtute Deo cultum exhibente, & sic non est

rigorosa iustitia, ut ipse docet Suar. Vel priori modo, & sic contradicetur sensui communi, qui ad Religionem secundo modo sumptam revocat votum Deo factum.

3. RATIO Eiusdem Vasq. ibidem t. p. num. 12. Si ex eo, quod nos Deo offerimus opera nostra, quæ apud eum meritoria sunt, & ipse pro eis retribuit, dicitur servare commutativam propriè, sequitur ante quamlibet promissionem ad id obligari: nam si accipit obligativè iustitia, liter debet retribuire.

RESPONDET Suar. In Opusc. n. 38. Ad hoc, ut ex operatione unius redundet obligatio iustitiæ in alio, non satis est, ut opus ipsum sit tali mercede dignum, secundum moralem æstimationem, sed necesse est, ut ex alterius voluntate & formali, & virtuali pacto, cum illo fiat: quia nemo potest ex iustitia obligari, præsertim ab alio, qui non est superior, nisi intercedente consensu & voluntate illius; & sic, qui in aliena vinea non vocatus laborat sua voluntate, nihil ei tenetur Dominus solvere ex iustitia. Neque valet si dicatur, sufficere quod Dominus videat laborem & consentiat in opus utile; quia aliud est videre & consentire in opus mihi utile, aliud verò consentire in illam utilitatem, tanquam emptam & mercede solvendam. Illud quidem prius intercedit, sed non sufficit ad iustitiæ obligationem: potest enim acceptare, ut liberale beneficium, quod fors non acceptaret, si sciret pro illo esse reddendum pretium. Ad eum modum, quo in curiis Principum aliquis alium honoris causa sequitur, quod si ex pacto faceret, mereretur retributionem; quando tamen id facit voluntate sua aliquis, etiam si alius videat, imò gaudere se ostendat, non propterea ex iustitia obligatur. Multaque sunt utilia, quæ si pretio sint emenda, prudentes homines ea excusant; requiritur ergo pactum per se loquendo: quia si in circumstantiis personarum & operis moraliter constaret ibi intervenire pactum tacitum, jam tunc oriretur obligatio iustitiæ, quia in moralibus tantum operari solet consensus tacitus, sicut expressus, quando cadunt in idem si sit consensus, ut dictum, non in utilitatem, sed in pactum.

Addit Suar. Etiam, posito, quod inter homines sine promissione ex solo videre & acceptare oriretur obligatio iustitialis, nondum oriretur in Deo, independenter ab ejus promissione; quia tacitus consensus tunc inducit obligationem, quando is, qui laborat, nullo titulo esset debitor talis rei, vel operis, & ita si is qui laborat, sit servus, nunquid labor ejus poterit obligare ex iustitia, propter solam scientiam, & consensum sine ullo pacto? Creatura autem multis titulis est obnoxia est Deo. Denique secluso omni pacto, poterit adhuc intercedere ratio meriti & præ-

R. P.
H. M. L. O. D.
ia. 10. w. s. k. i.
Tom. 3. et 4.
D. VI
6

mii, cujus retributio, ex parte Dei, pertinebit ad aliquam iustitiam latius sumptam.

CONTRA. Tum quia. Expresse Vasq. dicit, tunc videre, & consentire, inducit sine pacto obligationem iustitiæ, quando Dominus more humano, suspicari non potest illud obsequium gratis exhiberi. Tum quia. Universaliter non ex vi promissionis, sed ex vi accepti non gratuite, oritur obligatio merentis: si quis enim pro re alicujus valente 10. promitteret, si promissio non stare, & contra fidelitatem, & contra iustitiam peccaret. Cæterum si solveret, residuum autem 5. non solveret, non peccaret quidem contra promissionem, peccaret tamen contra iustitiam. Ergo obligatio iustitiæ oritur non ex pacto, sed ex re accepta. Tum quia; additum illud Suar. non convincit: multa enim sunt opera nostra non debita Deo, titulo necessitatis, sed honestatis, qualia sunt opera consilii. Ergo, saltem hæc inducerent in Deum obligationem iustitiam ex vi accepti, independentem à pacto, & illa ipsa obligatio, quæ Deo alio titulo debentur, non tollit in illis dignitatem ipsorum ad vitam æternam. Ergo, etiam poterunt obligare Deum ex iustitia: si enim aliquid obfaret, hoc ipso deberent esse talis naturæ, ut etiam tollatur in illis dignitas: nam quoties aliquis accipit ab alio rem sibi debitam, aliquo titulo, nempe misericordiæ, idcirco non debet pro illa solvere: quia hoc ipso, quia est illi debita, non manet apud ipsum digna alio pretio, quamvis aliàs digna esset, nisi deberetur.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur idem Examen.

QUARTA RATIO. Ejusdem Vasq. in 1. p. d. 85. n. 28. Creatura Deo comparatur sicut parvulus Patri, servus Domino, inter hos autem iustitia esse non potest. Antecedens probat multis, ex auctoritate Aristotelis 5. Eth. c. 6. & S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.

RESPONDET. Suar. opera nostra, quadam ratione, esse ita nostra, ut non sint Dei, quatenus scil. libera sunt.

CONTRA. Ex eodem Vasq. ibidem. Tum quia. Valor operum nostrorum est ex gratia, quæ à Deo provenit, libertasque est solum fundamentum meriti, nec facimus Deum novo aliquo titulo Dominum nostrarum actionum; & sic, quia filius non potest æqualem honorem deferre patri, constituitur ad hoc virtus à iustitia distincta; ita etiam quia creatura non potest Deo æqualem honorem reddere, non ex iustitia illum reddet. Tum quia, ut urget in 1. 2. d. 102. n. 25. Filius non emancipatus, non potest esse iustus Patri, Deus autem non potest emancipare creaturam. Tum quia. Quando filius non emancipatus excolit agrum Patris, non est di-

gnus pretio, eo quod id v. g. debitum sit, si autem pactum intercessisset, fieret dignum pretio. Jam autem quando nos præstamus opera in obsequium Dei, ante pactum ei offerimus rem dignam vitæ æternæ; præcipue in sententia, quæ rationem meriti non formalisat per acceptionem. Ergo, ex illis operibus induci potest obligatio iustitiæ, ratione dati independentem à pacto, si aliàs illa inter creaturam & Deum dari potest.

5. RATIO. Ejusdem Vasq. quam sic sibi proponit Suar. Opusc. cit. n. 42. Quoties offertur creditori res æqualis debita, debitor satisfacit, & creditor tenetur acceptare, & si hoc facere nolit debitor; evadit liber, consequenter quando creditor acceptat satisfactionem, quæ per se non necessario expellit debitum, nec cogit ad acceptandum, talis satisfactio non est æqualis. Unde inferuntur duo. Christus non satisfecit Deo ex propria iustitia: quia satisfactio Christi formaliter per se ipsum non reddit nos immunes à culpa & reatu pœnæ; aliàs non esset nobis necessaria jam applicatio meritorum Christi, nec potuit Christus, tecluta promissione, obligare Patrem. Inferunt aliud, utrumque hominem iustum, tecluta omni promissione, satisfacere Deo ex iustitia, per opera pœnalia: Quod Argumentum tuius proponit idem Vasq. cit. 1. p. a. n. 38.

RESPONDET 1. Suar. quoad satisfactionem pro pœnâ, & supponit certum esse de fide, mortali peccato remisso quoad culpam, non remitti semper reatum pœnæ temporalis, quod supplicium, licet ex natura rei debeatur peccato; tamen quod in particulari illud supplicium tale sit, pertinet ad ordinationem Dei, tantitas item remanentis reatus pœnæ; potuisset enim Deus majorem contritionem ad plenam remissionem exigere, consequenter erat necessaria ordinatio divina, consentanea quidem ipsis rebus, non tamen existens in ipsis, sine accessu ordinationis divinæ; quo posito. Sic urget Suar. Vel potuit Deus illam pœnam ita taxare ac definire, ut omnino illa luenda esset, nec computari pro altera pœna, quantumvis magna; vel non potuit? si non potuit. Contra erit. Quia ostendi non potest, quod nulla pœna hujus vitæ sit ejusdem rationis, vel æqualis physice cum pœna purgatorii. Ergo, cum pœna hujus vitæ sit iusta, utpote æqualis pœnæ purgatorii, potuit Deus illam solam definire velle, sicut in iudicis etiam humani arbitrio posita est, electio iustæ pœnæ hujus vel illius; spectareque hæc videtur ad universalem providentiam divinam, consequenter in præsentia talia opera non habent vim ex natura rei, sed supposita promissione, solumque potest esse diversitas ex ordinatione divina, nimirum quia Deus nunc statuit, ut pœna purgatorii non esset sola, seu absolute definita, sed sub conditione, nisi hoc